



1
3
33
34
35
36
37
38



1777.

32. Pahl, Christianus Turonicus: De codicibus Gregorianis
aliquo Hermogeniano.
33. Puelhmannus, Jos. Lud. Sen; fac. jur. pro cancellario:
De excessu ejus, cui aut verberatio aut vulneratio
aliujus mandata est, mandanti haud impediendo.
Programma, quo solemniter Doctrinae Christianae
visi Sibi indicit.
34. Puelhmannus, Tobias Ludovicus Senatus: De symbolice
fandorum iura libera per puculum.
35. Puelhmannus, Tobias Ludovicus Senatus: De iurisdictione
fandorum interdum et tempus impedita.
36. Puelhmannus, Tobias Ludovicus Senatus: De jure recipiendi
hypothes alienas.
37. Puelhmannus, Tobias Ludovicus Senatus: Anarchismus foren.
sive specimen I.
38. Puelhmannus, Tobias Ludovicus Senatus: De pactis privile-
giorum exorbitantibus ad l. 3 l. de profess. et. med.

1777.

39. Ran, Christianus: De vassillis imperii et investiti-
tura feudorum, quae tempore interregni à vicariis
S. R. I. recognoverunt coram imperatore postea
electo renovanda, immunitas
40. Ran, Christianus: De natis ex matrimonio
vassilli cum d. pensalove principis iusto
à successione in fenda hant exclusis.
41. Ran, Christianus: De testamentis peregrinantium
42. Rischel, Christianus Augustus: De numero et pondere
in nummis aestimando.
43. Schott, Augustus Fridericus: De iudicio Horatiano
ejusque in jure usu.
44. Seeger, Joh. Theophilus, fac. jur. procan. cellarius:
De suprema rei judicariæ in imperio potestate.
Programma, quo salernus doctoratus Christiani Wolfthii
Pineri iurid. . .

1777

45. Segerus, Joh. Theophilus : De sententiis novellae
constitut. I.
46. Segerus, Joh. Theophilus : De arbitris honorariis
ad his, horum juris civiles
47. Segerus, Joh. Theophilus : De vi legum et
decretorum in territorio alieno.
48. Hockmann, Augustus Cornelius : De jurisdictione
privata.
49. Wieland, Emanuel Conrad : De systemate civita-
tum.
50. Walle, Christophorus Fredericus : De restituta memoria.
51. Zoller, Bidericus Gottlieb : Prae. par. pro cancellario :
De usuris rei iustitiae. Programma, quae solemniter
Doctoralia Henrici Gottliebii Minnevi indidit
52. Zollerus, Fr. D. Gottlieb : De jure dotis dominio recte
accensendo.
53. Zollerus, Fr. D. Gottlieb : Numquam tutor ex debito pupuli
conventus id, quod sibi debetur compensare queat?

1777.

54. Zallerus, Frid. Gualter : Utrum anticipatio
usurarum usurariam pravitatem involvat.
55. Zallerus, Frid. Gualter : An viciosis pro
statibus in divisione a testatore facta locum
habent.?
56. Zallerus, Frid. Gualter : Anale tempus cor
genus monetarum in exsolventis lega
si spectandum?
57. Zallerus, Frid. Gualter : De pignoratione
58. Zallerus, Frid. Gualter : Utrum donatio
inter virum et uxorem facta jureamento
accidente sit valida.?

les

ntua >

pro >

locu

cor:

Legu

lione

les

mentis





[Faint, illegible handwriting in blue ink, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]



116.

1777/33.

2

PROCANCELLARIVS
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

CHRISTIANI SAMVELIS GEHE

ZEHRENSIS

A. D. XI. DECEMBR. MDCCLXXVII

PVBlice CELEBRANDA

INDICIT

IN EST
DISQVISITIO

*De excessu eius, cui aut verberatio aut vulneratio alicuius mandata est,
mandanti haud imputando.*



PROGNOSE

TOS IVD BSM BYTMAVYS

UND FÜR DIE FÜRSTEN VON SACHSEN

SOLLENNIA FÜRSTEN

UND FÜR DIE FÜRSTEN

CHRISTIAN VON SACHSEN


UND FÜR DIE FÜRSTEN

UND FÜR DIE FÜRSTEN

UND FÜR DIE FÜRSTEN

UND FÜR DIE FÜRSTEN





Inter causas delictorum, ut vulgo vocant, morales, quarum
praecipuae haec versiculis:

Inssio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstans, non manifestans,

comprehenduntur, haud iniuria etiam refertur mandatum.

Bene VLPPIANVS in l. 15. D. ad L. Corn. de sicar. Nihil interest,
occidat quis, an causam mortis praebet. Ὁ ἐντεταλόμενος τῷ Φο-
νεύσῳ ὡς Φονεὺς κτίζεται. i. e. Mandator caedis pro homicida
habetur. *) Nauiter id sentiebat DAVID, in Iouam, inquit,
peccavi, cum NATHAN ipsi caedem VRIAE his verbis: cur tu
Iouam scelere tuo offendisti, dum Vriam ferro irucidasti, eiusque
uxorem, eo per te Ammonitarum telis interfecisti, in matrimonium
duxisti, exprobraret. Reg. Lib. II. c. 12. In eandem sententiam
VAL. MAXIMVS IX. II. 7. Ne Vettius quidem Sallastus proscriptus
parum amari exitus, quem latentem vxor interficiendum, quid
dicam, tradidit, an ipsa iugulauit? Quanto enim leuius est scelus,
cui tantummodo manus abest? Nec male fortasse huc referas il-
lud OVIDII Heroid. Ep. II.

Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem:

Ille neci causam praebuit, illa manum.

Aequissimum igitur est rescriptum GORDIANI in l. 5. C. de Ac-
tus. Non ideo minus crimine, siue atrocium iniuriarum iudicio te-

A 2

netur

- a) Verba postrema non exstant in Cod. Florentino, neque adeo leguntur
in noua Corp. Iur. edit. Gabauerian. p. 1048. sed ex Basilicis in nonnul-
las Pandectar. editiones irrepererunt. Ceterum idem fere legitur in
Eclog. Basilic. quam I. LEVINGLAVIUS Basileae 1575. edidit, p. 355. nec
non ap. PAUL. S. R. v. 23. u.

netur is, qui in iustam accusationem incidit, quia dicit, alium se huiusmodi facti mandatorem habuisse. Namque hoc casu praeter principalem reum mandatorem quoque ex sua persona conueniri posse, ignotum non est.

Paulo autem intricatior quaestio est, an mandatario fines mandati excedente nihilominus mandans de occisione teneatur, poenaque Legis Corneliae ordinariae plectendus sit. Et haud defunt, qui adfirmare illam adeo haud dubitant, ut, si quando talis inciderit species, protinus vetere ex formula clamitent: *I, licitor, colliga manus, et securim expedi!* Atque ita, si cui, ut Titio aliquot alapas infligat, mandaueris, ille autem hausto fortasse, ut animum sibi adderet, vino occiderit Titium, conclamatum iam est, perdidisti caput tuum. *Perinde est*, inquit BOEHMERVS in *Elem. Iur. Crim. II. 16. 275. utrum quis ipse necauerit, an alii necem mandauerit, adeo, ut uterque poenam ordinariam subeat, si vel maxime alter tantum verberationem aut vulnerationem mandauerit.* Distinguendo rem definit BERGERVS in *Oec. Iur. III. V. 36.* Quid, inquires, si mandatarius excefferit fines mandati, num mandans tenebitur de excessu? si mandatarius fines mandati in re illicita exceffit per imprudentiam, affirmatur, *sin data opera, negatur, idemque III. XI. 12. Gladii poenam in homicidio mediato decernendam esse, quamuis mandans iusserit vulnerari, occidi autem prohibuerit, arg. l. 6. C. ad L. Iul. de vi publ. modo per imprudentiam occiderit mandatarius, non data opera.* Nec multum abludit ANT. MATTHAEVS de *Crim. 48. 5. 3.* Quoniam res est perniciosi exempli, mandare, ut aliquis vulneretur, nec istum moderari suo arbitrio mandatarius potest, idcirco existimauerim, hoc casu utrumque, tam mandantem quam mandatarium, gladio feriri. Sciuit enim aut scire debuit mandans, quem sit periculosum, gladium stringere; quam non sit in nostra potestate, certo loco, certae et definitae magnitudinis vulnus instigare. *Posse adeo facile occumbere, quem vulnerari iusseris.* Vulnera,

nera, inquit alii, non dantur ad mensuram, et iacere quidem reum voluntatis est, ferire contra, vbi et quomodo velis, fortunae; nec male *SENECA Herc. fur. v. 403.*

— — *Arma non seruant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi potest
Stricti ensis ira.* — —

Ad me quod attinet, verissimum semper existimaui, quod scribit *P. SYRVS v. 369.*

Prope est, libens ut damnet, qui damnat cito,
perplacetque aureum illud *SENECAE de Clem. I. 1.* dictum: *Conditum, inmo confictum apud me ferrum est. Summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est; seueritatem abditam, clementiam in promptu habeo.* Neque adeo laborem aut inutilem aut superfluum, spero, suscipiam, si mandatarii excessum, de homicidio quando quaeritur, mandanti numquam imputandum esse, ostendere satagam. Qua quidem in re ita versabor, vt primum sententiam confirmem meam, argumenta deinde aduersariorum, ne temere tantis viris contradixisse videar, infringam.

Antequam autem rem ipsam adgrediar, monuisse iuuabit, me haudquaquam negare, omnes mandati effectus, etsi fortasse praeter spem atque opinionem mandantis proueniant, modo nulla in re excesserit mandatarius, mandanti imputandos esse. Atque hac quidem parte lubenter subscribo *BOEHMERO in Meditat. in C. C. C. p. 841.* *Alias, inquenti, non refert, utrum crimen directo, an per indirectum mandato comprehensum, dummodo mandatum ad tale factum directum, ex quo euentus praesens per se, et qui a mandante praevideri potuit, secutus. Quum enim voluntas directa et indirecta in eo, qui solus ultro delinquit, intuitu poenae pari passu ambulet, quidni mandanti euentus indirectus fraudi erit? Nolo hic repetere, quae de homicidio ex in-*

rentione indirecta commisso dixerunt LEYSER *Spec.* 603. et Ill. DAN. NETTELBLADT *Diss. ling. Halae 1756.* propos. Valeat etiam hic, quod BONIFACIUS VIII. ait in *cap. 72. de R. I. in 6.* *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.*

Nemo igitur a me exspectet, vt eius defensionem in me suspiciam, qui e. g. alterius capiti vrceum aut cucumam infligere, opeue bombardae glandes in eum conuicere, idque modo haud adiecto, iussit. Nosse oportebat mandantem, haud sine periculo ollas, vt PAVTVS ait *Capt. I. r. 21.* alterius frangi in caput, nec sine scelere, vt apud eund. *Curc. III. v. 25.* legimus, dici:

— — *Quid id refert mea,*

An aula quassa cum cinere effusus fiet (oculus?)

Neque adeo intercedo, quo minus is, cuius mandatum, dummodo mandatarius fines eius haud transgressus sit, neci alicuius, etsi praeter expectationem, re ipsa causam dedit, eadem poena, quae sicarios exspectat, plectatur. Mandantem autem culpam etiam mandatarii ferre, aut propter eius excessum capite plecti debere, id quidem aduersariis largiri haud possum. Fieri quidem interdum potest, vt, quemadmodum HORATIVVS *Ep. I. 18. 76.* ait,

Incutiant aliena tibi peccata pudorem;

vt autem mandans propter mandatarii excessum caput perdat, hoc sine iniustitia fieri haud potest. Rationes, quae me, vt ita sentiam, cogunt, accipe sequentes.

Primum quidem sana ratio docet, neminem ob delictum alienum, cuius particeps haud fuit, posse puniri, idque propterea, quod, vt PVFENDORF. in *I. N. et G. VIII. 3. 33.* scribit, aptitudo ad poenam ex merito oritur, cuius fundamentum est sua cuiusque voluntas, qua homini nihil magis proprium, quaeque vitium, nisi ex motu intrinseco, contrahere non potest. Imputatio, desinente LVD. CONR. SCHROE-

DERO

DERO in *Elem. iur. nat. social. et gent. p. 20.* est actus, quo alicui, tamquam auctori, certum aliquod factum, et cum eo connexum meritum, attribuitur. Vnde prono alueo fluit, actiones alienas nemini imputari, nisi quatenus quis earum reapse particeps, aut causa conficiens fuit. ^{b)} His convenienter Impp. ARCAD. et HONOR. in *l. 22. C. de poen. Sancimus ibi esse poenam, ubi et noxia est. Propinquos, notos, familiares procut a calumnia submouemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim adfinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum,* ^{c)} quibus congruit, quod scribit CALLISTRATVS in *l. 26. D. de poen. Crimen vel poena paterna nullam maculam filio infligere potest. Namque unusquisque ex suo admisso sorti subiicitur, nec alieni criminis successor constituitur. Nec aliter OVIDIVS Met. IV. 669.*

*Illic immeritam maternae pendere linguae
Andromedan poenas immitis iusserat Ammon.*

Et quamuis haud desint exempla, liberos interdum delicta parentum aliquatenus luisse, recte tamen iam alii monuerunt, illud ideo factum esse, vt parentum erga liberos amor cautiore eos redderet, ne quid contra rempublicam auderent, quod etiam agnouit CICERO *Ep. ad Brut. 12. Nec vero me fugit, quam sit acerbum, parentum scelera filiorum poenis lvi. Sed hoc praeclare legibus comparatum est, vt caritas liberorum amiciores*

pa-

b) Exemplum praebet *assassinium*, de quo vid. ANT. MATTHAEVS de *Crim. p. 385.* et FRANC. DVARENVS *Op. p. 1066.* Ceterum conf. G. C. GEBAVERI *Diss. de imputat. facti alieni circa delicta, in Exercit. Acad. Vol. II. p. 669.* T. I. ANDREAE *Commentar. de delictor. et poenar. quantitat. Franc. et Lips. 1768. p. 51. seq.* et AVCTOR ANONYMVS libelli, qui sub titulo *Geist der Criminalgesetzte Hamburgi* hoc anno prod. p. 73. *seq.*

c) Qua de lege nouissime exposuit IO. VAN BEYKER in OELRICH. *Tb. Nou. Diss. Iur. Tom. I. Vol. II. p. 184*

parentes reipubl. redderet. Bene PUFENDORF l. c. Nullo alio modo innocens filius rebellionem patris luere potest, quam ut ipsi intercipiantur ea bona, quae alias a patre in eum erant deuoluenda. Ab honoribus autem indebitis arceri, poena proprie dicta non est. d)

Neque aliud suadet, quod scribit VLPIAN. in l. 4. §. 2. D. de Offic. Proc. Proficisci proconsulem melius quidem est sine vxore, sed et cum vxore potest, dummodo sciat, Senatam Cotta et Messala Conf. e) censuisse, futurum, ut si quid vxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio et vindicta exigatur. Patet enim, hoc etiam publicae vtilitatis causa receptum esse, eoque minus Proconsuli, culpam luenti vxoris, querendi causam fuisse, quo magis aut sine vxore proficisci poterat, aut ita saltem morum vxoris curam habere debebat, ut ne detrimenti quid inde respublica caperet. Turpe cum omnibus, tum maxime publicum sustentibus munus semper existimatum est, mala domus suae, ut HIERONYMVS Ep. 48. ait, scire nouissime, et liberorum ac coniugis vitia vicinis contentibus ignorare. Porro quidem nouimus, ex vetere consuetudine Galliae atque Hispaniae vicanos loco, in quo latro-

ci-

d) Pulchre M. ANTONINVS ap. VULG. GALLICAN. in Auid. Cass. cap. 12. Quare filiis Auid. Cassii et genero et vxori veniam dabit; et quid dico veniam? cum illi nihil fecerint. Viuant igitur securi, scientes, sub Marco se viuere. Viuant in patrimonio parentum, pro parte donato: auro, argento, vestibus fruantur: sint diuites, sint securi, sint vagi et liberi, et per ora omnium vbique populorum circumferant meae, circumferant vestrae pietatis exemplum. Nec magna haec est, P. C. clementia, veniam proscriporum liberis et coniugibus dari.

e) Quibus in verbis I. A. BACHIVS in hist. iur. p. 377. pro Cotta et Messalino Conf. ob locum TACITI Ann. IV. 20. legere iubet Cotta Messalino consulente. Perperam! Fuerunt enim M. VALER. MESSALA ET M. AVREL. COTTA Confules A. V. C. 773. Vid. T. I. AB ALMELOVEEN Fast. Conf. p. 112. idque etiam obseruauit BRENKMAN. in edit. Corp. Iur. Gebauer. p. 19. Ceterum ad d. l. 4. §. 2. conf. GER. V. WESEL de sanctitat. iudicior. in OELRICH. Thes. Nou. Tom. I. Vol. II. p. 292.

cinium factum erat, proximos olim aut latrones exhibere, aut noxam luere debuisse, ceu ex MATTHAEO PARIS. *ad an. 1253.* aliisque superiorum temporum scriptoribus docet A. D. ALTESERRA *de Duc. et Comit. Gall. Prou. Lib. II. cap. 2. p. 187. seq.* Sed nec iste mos quidquam habuit iniquitatis, propterea quod vicinis proximis haud iniuria obiciebatur, eos neglecta securitate publica occasionem comprehendendi latrones praetermississe, cuiusmodi exemplum apud IOSEPHVM *de Bell. Iud. II. 11.* occurrit. Plane autem barbara mihi videtur ea consuetudo, quae apud Chineses vigere dicitur, vt scilicet homicidio alicubi commisso ciuitas, si de reo haud confitet, alium hominem morte multandum exhibere teneatur, ceu paucis abhinc annis in litteris publicis legere memini. Sed vt iam eo, vnde paululum defleximus, redeamus, nemo, opinor, dubitabit nobis concedere id, quod supra posuimus, delicta scilicet debere suos tenere auctores, iniustissimumque esse, si quis culpam luere teneatur alienam, aut quando, vt apud HORATIVVM *Ep. I. 2. 14.* est,

Quicquid delirant reges, plebuntur Achiui.

Ne quis autem propriam quoque mandatarii culpam mandatarii iuste imputari existimet, meminisse iuuabit, mandatarium hanc personam eatenus tantum sustinere, quatenus mandatum exsequitur, contraria ex parte eundem, simulac fines mandati diligentissime custodiendos excefferit, aliud quid fecisse videri. Docet hoc nos PAVLVS in *l. 5. pr. D. mand. Diligenter fines mandati custodiendi sunt: nam qui excessit, aliud quid facere videtur.* Quod si in ciuilibus adeo causis obtinet, quanto magis in criminalibus, puniendisque delictis, vbi haud raro non pecuniae, sed capitis periculum subest, locum sibi vindicabit? *In minimis rebus,* inquit CIC. *pro Rosc. cap. 39. qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnetur, necesse est: in re tanta, — qua is tandem poena afficietur? aut quo iudicio*

B

damna-

damnabitur? Recte vulgo mandatum definiunt contractum, quo alteri negotium gratis gerendum committitur. Quodsi iam mandatarius non mandatum, sed aliud negotium suscipit, qui quaeso obligare poterit eum, qui limites, quos excedere haud fas est, ipsi praescripsit. ^{f)} Sentiit hanc difficultatem ANT. MATTHAEVS l. c. Mandatarius, inquiens, cum non id fecit, quod mandatum erat, non tanquam mandatarius deliquit, sed suo nomine, suoque periculo crimen contraxit. Plane quemadmodum secundum dialecticos instrumentum, simulac agenti causae defecerit seruire, (ut si equi excusso freno rapiant aurigam,) nomen instrumenti perdit, ita etiam mandatarius, si non mandati fines obseruet, mandatarii nomen amittere videtur. Quo amisso, nec mandanti caedes, sed vulnus duntaxat imputandum erit. Sed sentiit solummodo. Tantum enim abest, ut eandem amouerit, ut potius sententiam suam superstruxerit legibus quibusdam, plane ad rem haud pertinentibus, uti mox plenius demonstrabitur.

Sed nec pro socio mandatarii, quatenus hic fines mandati excedit, mandans habendus est. Socii criminis sunt, qui in crimen aliquod committendum consenserunt, idemque

con-

f) Bene monet PAVLVS in l. 3. D. mand. meliorem quidem fieri interdum mandantis conditionem posse, deteriore numquam. Nec silentio hic praetereundum, quod ap. VLP. in l. vn. §. 2. D. si quis ius dic. legitur: Si procurator tuus, vel tutor, vel curator ius dicendi non obtemperauit, ipse punitur, non dominus vel pupillus, idemque ap. NERATIVM in l. ii. D. de dol. mal. et mer. exc. Procurator agit: de dolo eius excipi non debet, quia aliena lis est, isque rei extraneus: neque alienus dolo nocere alteri debet. Sic mandatum quoque superioris ita, quemadmodum iussum est, neutiquam autem simili aliaue ratione exsequi oportet. Exemplum est apud SPARTIAN. in Caracall. Cap. 4. Deinde in conspectu eius Papinianus securi percussus est, et a militibus occisus: quo facto percussori dixit: gladio te exsequi oportuit meum iussum. Plura dabit GELLIVS l. 13. Eodem pertinet, quod in l. 3. §. 15. D. de re mil. legitur: In bello, qui rem a duce prohibitam fecit, aut mandata non seruauit, capite punitur, etiamsi res bene gesserit.

coniunctis (etsi interdum inaequalibus) viribus perpetrarunt. Vid. Conf. I. F. EISENHARTI *Diff. de vera criminis focii notione*, in *Opusc. iurid.* p. 62. Quae definitio quomodo ad mandantem, mandati fines excedente mandatario, referri possit, ego saltem haud perspicio. Sint illi focii, quatenus ambo idem ceperunt consilium; quatenus autem mandatarius aliud quid fecit, ac mandans praescripserat, nae frustra esset, qui in crimen perpetrandum eos coisse contenderet. Maximi porro hic momenti est, quod legimus in l. 1. §. 3. *D. ad L. Corn. de sic. D. Hadrianus rescripsit, eum, qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc admisit, absolui posse, et qui hominem non occidit, sed vulneravit, ut occidat, pro homicida damnandum: et ex re constituendam hoc: nam si gladium struxerit, et in eo percusserit, indubitate occidendi animo id eum admisisse: sed si clavi percussit, aut cucuma^{g)} in rixa, quamvis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendam poenam eius, qui in rixa, causa magis quam voluntate, homicidium admisit, nec non in l. 14. *D. eod.* In maleficiis voluntas spectatur, non exitus. Equidem scio, varie h. l. explicari ab interpretibus, ex quibus CORN. VAN BYNK. *Obs. III. 10.* HERM. CANNegiETERVM in *Commentar. ad Fragn. vet. iurispr.* p. 43. itemque IO. CANNegiETERVM ad *Coll. L. M. et R.* p. 184. nominasse sufficiat. Enimvero, si quid video, nihil aliud HADRIANVS dixit, ac PAVLVVS S. R. V. 23. 3. *Consilium uniuscuiusque, non factum putandum est, et SENECA Controv. V. 32. Nec enim euentus imputari debet cuiusque rei, sed consilium.*^{h)} Adeo scilicet cum iu-*

B 2

ri,
g) *Cucuma* fuit *abenum*, ad aquam calefaciendam comparatum, et a forma cucumeris ita dictum. Neque vero mirum videri debet, *abenum* inter caedis instrumenta a Ictis referri. Recte enim iam observavit HEINECC. ad BRISSON. de *V. S.* p. 278. saepe furorem huiusmodi etiam arma, si res ad manus veniat, ministrare.

h) Ceterum bene P. DE GREVE in *Exerc. ad Pand. loc. diffiçil.* p. 67. *In maleficiis voluntas spectatur, non exitus, sed quando voluntas ad actum exerc.*

ri, tum aequitati consentaneum est, quod iam OVIDIUS cecinit *l. c. v. 85.*

— — Careat successibus opto,

Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Quae cum ita sint, nec mandanti imputandum erit, quod praeter aut contra mandatum eius factum est. Hic quoque non exitum spectare, sed potius, quae mandantis fuerit voluntas, quod eius consilium, sedulo oportet considerare.

Nec alienum ab hoc loco est, quod PAVLVS praecipit in *l. 7. D. ad L. Corn. de sic. In lege Cornelia dolus pro facto accipitur: nec in hac lege culpa lata pro dolo accipitur. Quare si quis alto se praecipitauerit, et super alium venerit eumque occiderit, aut putator ex arbore, cum ramiu deiceret, non proclamauerit et praetereuntem occiderit, ad huius legis coercionem non pertinet.* Quod si praeterea in animum mihi reuoco, quod MARCELLVS scribit in *l. 3. D. de his, quae in testam. In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustus est, quam tutius, nec non Pontifex in cap. 49. de R. I. in 6. In poenis benignior est interpretatio facienda, non modo durum, sed iniustum etiam mihi viderur, vitore gladio persequi eum, qui animum occidendi neque directum, vt vulgo aiunt, neque indirectum habuit, quique haud iniuria nobis occidit:*

Non equidem totam possum defendere culpam,

Sed partem magnam criminis alter habet.

Haud quidem ignoro, in delictis etiam culpam latam nonnumquam dolo aequiparari, ceu docuit IAN. LANGLAEVS *Semestr. VIII. 15.* Idem tamen scio, in puniendis delictis interpretationem, vt vocant, extensiuam ex praescripto regulae locum haud inuenire, qua de re praeter alios exposuit Conf.

G. F. externum deuenit. Nec plane silentio hic praetereundum, quod PAVLVS ait in l. 79. D. de R. I. Fraudis interpretatio semper in iure simili non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur.

G. F. KRAVSIVS in *Diff. de extensu. poenar. interpretat. Gedan. 1752.* Atque hoc ipsum in refellendis etiam aduersariorum argumentis suppetias nobis feret, auxiliumque, ni fallor, praestabit.

NOUUM haud esse ait ANT. MATTHAEVS *l. c. p. 380.* caedem imputari ei, qui caedem ipse non fecit, eamque in rem auctoritate vitur PAVLI in *l. 38. §. 5. D. de poen. nec non Imp. CONSTANTINI in l. 6. C. ad L. Iul. de vi publ.* Quodsi quis autem has leges paullo accuratius inspicere haud gravatus fuerit, nae is, male huc eas referri, haud difficulter intelliget. Verba PAVLI sunt: *Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen, quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur. Quodsi eo mulier aut homo perierit, summo supplicio adficiuntur;*ⁱ⁾ CONSTANTINI autem haec: *Quoniam multa facinora sub vno violentiae nomine continentur, cum aliis vim inferre certantibus, aliis cum indignatione resistentibus, verbera caedesque crebro deteguntur admissae, placuit, si forte quis vel ex possidentis parte, vel ex eius, qui possessionem temere tentauerit, interemptus sit, in eum supplicium exerceri, qui vim facere tentauerit, et alterutri parti causam malorum praebuerit: et non iam relegatione aut deportatione insulae plectatur, sed supplicium capitale excipiat, nec interposita prouocatione sententiam, quae in eum fuerit dicta, suspendat.* Enimuero quis non sua sponte intelligit, eum, qui abortionis aut amatorium poculum dedit, si eo homo aut mulier perierit, ideo haud iniuste ultimo supplicio adfici, quia, vt recte iudicat LANGEAEVS *l. c. p. 580.* praeuide-re debebat, facile leniferam fieri propinatam potionem posse,

B 3

nec

i) Mulieris et hominis ideo separatim hic mentio fit, quia abortionis poculum soli mulieri, amatorium autem tam viro, quam feminae propinari potest. Conf. H. SALMVTH ad PANCIOELLI *rer. mem. P. I. p. 217.*

nec semper, licet sine mora hauſtum, antidotum iuuare, ^{k)} ſed ſæpenumero potius euenire, quod OVIDIVS (ex Pont. I. 3. 17.) ait:

*Non eſt in medico ſemper, releuetur vt aeger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.*

Turpiter porro, ita ſim felix, ſe dedit ANT. MATTHÆVS, in partes ſuas vocans Imp. CONSTANTINVM, cum in aprico ſit, in l. 6. C. ad L. Iul. de vi publ. haudquaquam de poena homicidii, ſed de vi publica potius, ſeu crimine violentiæ ſermonem eſſe, vt docent verba, quibus Imp. ſtatim ab initio vtitur: *Quoniam multa facinora ſub vno violentiæ nomine continentur.* Lege ſcilicet Iulia de vi publ. tenetur etiam is, qui hominibus armatis poſſeſſorem domo, agroue, aut naui deiecerit, vt legimus apud MARCIANVM in l. 3. ſ. 6. D. h. t. Ceterum vid. quæ hac de re monuit BACHIVS in *hiſt. iur.* p. 344.

Neque me mouet, quod idem ſcribit ANT. MATTHÆVS, a iuris regulis interdum recedi propter vtilitatem et exemplum, vt ex l. 51. D. ad L. Aquil. ipſi patere videtur. Haud, inquam, illud me mouet, qui ſcio, iudicem haud oportere legibus eſſe ſeueriores, quin ſemper debere nos ante oculos habere illud CIC. de Leg. Lib. III. n. 2. *Vt magiſtratus leges, ita populo præſunt magiſtratus, veræque dici poſſunt, magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum magiſtratum.* Quæ cum ita ſint, nec huc pertinent, quibus nonnulli vtuntur, verba l. 3. ſ. 2. D. ad L. Corn. de ſic. *Ex Scto relegari iuſta eſt ea, quæ non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quæ acceperat, deceſſerit.* Præterquam enim quod ibi ſat leuis poena, relegatio puta, ſtatuitur, idem etiam hic repetendum eſt, quod iam ſupra de periculo

^{k)} Nec ſemper accidit, quod ap. AVSONIVM Epigr. X. legimus, vt ſcilicet *lima venena iuuent.* Vid. DAN. VINCKII *Ameoſitar. Philolog. Medic.* p. 51.

culo, cum propinatione eiusmodi potionum s. medicamento-
rum plerumque coniuncto, monuimus. Fere praeteriissem,
quae a nonnullis huc etiam trahitur, *l. 16. §. 8. D. de poen. vbi*
CLAUD. SATVRNINVS, *Euentus*, inquit, *speçetur, vt a clemen-*
tissimo quoquo facta. Non hic repetam, quae cum super lectio-
ne, tum explicatione horum verborum larga manu, mulum-
que inter se digladiati protulerunt interpretes. Legi ea pos-
sunt apud *B. H. REINOLDVM Varior. Cap. IX. H. G. VAN VRY-*
HOFF in OELRICH. Thef. Diss. Select. Vol. I. Tom. 3. p. 199.
ABB. WIELINGIVM Lect. Iur. Ciu. II. 9. p. 125. HERM. CAN-
NEGIETERVM l. c. p. 43. eiusque fratrem *IOANNEM*, loc. itidem
laud. *p. 181. ANT. denique MATTHAEVM l. c. p. 376.* Dicam
tantum, quomodo mihi verba *SATVRNINI* interpretanda esse
videantur. *Euentus speçetur, VT* (i. e. vtvt) *a clementissimo*¹⁾
quoquo caedes (quod quidem verbum ex praecedentibus intelle-
ctu repetendum est) *facta sit*. Species, (qualis anno proxime
superiore Ordini nostro offerebatur,) haec esto. *Titius* ami-
cum suum *Sempronium* bibendi causa ad se inuitauerat. Venit
Sempronius, bibunt ambo, vt fieri solet, fortiter. Inter po-
cula *Sempronius Titio* ioci causa, mox etiam serio, vetitos
amores s. adulterium obiicit, qua re ille adeo exandescit, vt
arrepto malleolo caput amici percuteret, idque tam diu repe-
reret, donec hic caderet, tandemque, auxilio ipsi haud praestit-
to, exspiraret. Quid hic *Titius* eiusue defensor? Ingeminare
verba *l. 14. D. ad L. Corn. de sic. In maleficiis voluntas speçatur,*
non exitus, nec non *l. 1. §. 3. D. eod.* quae supra iam adscripsi-
mus, aliaque, eiusmodi in speciebus allegari solita. Enimue-
ro potiore hic iure locum sibi vindicabat, quod *SATVRNINVS*
l. c. ait: Euentus speçetur, vtut (i. quamuis) *vel a viro clementis-*
simo

1) Loco tñ *clementissimo* nonnulli legunt *dementissimo*, sed, vt iam *WIE-*
LINGIVS l. c. p. 126. monuit, satis dementer.

sumo (immo amico, iusto acrius exardescente) caedes facta sit. Iam nemo non videt, male *d. l. 16. §. 8.* quaestioni propositae adplicari, verbaque SATVRNINI haudquaquam vltra mentem eius extendenda, aut ad species, de quibus ipse haud cogitavit, proferenda esse.

Frustra tandem aduersarii nobis obmouent *cap. 3. de homicid. in 6. vbi Pontifex: Is, qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat: cum mandando in culpa fuerit, et, hoc euenire posse, debuerit cogitare.* Sufficiat, per me licet, haec ratio, vt quis fieri possit irregularis; eo sane, vt caput ipsius amputetur, sufficere haud debet, nisi plane migrare velimus aureum illud HORATII dictum: (*Serm. I. 3. 117.*)

— — — *Ad sit*

Regula, peccatis quae poenas irroget aequas:

Ne scutica dignum horribili scetere flagello.

Nihil iam superest, nisi vt de praecipuis speciebus, in quibus moueri quaestio proposita potest, dispiciamus.

Ac primum quidem omnes fere in eo nobiscum consentiunt, dolum mandatarii mandantem haudquaquam ferre teneri. Ita sane sentiunt CARPZOV. in *Pract. Rer. Crim. I. IV. 17.* BERGERVS *l. c.* BOEHMERVS in *Meditat. in C. C. C. p. 84r.* Cel. denique EISENHART. *l. c. p. 67.* Rationem BOEHMERVS haud male reddit his verbis: *Aliud dicendum, si euentus omnino non cogitatus per accidens secutus, siue quod bacillo ferire iussus aberrante ictu letum intulerit, siue quod mandatum alias excefferit, et subdole tanta cum efficacia alterum fauciauerit, vt inde perierit. Nam priore casu non mandatarius, nedum mandans, euentum poena ordinaria luit, posteriore vero in potestate mandatarii fuit, voluntati mandantis conuenienter ab excessu sibi cauere, quo non facta proteruita huius mandanti fraudi esse nequit, vt cum illo parem poenam*

nam

nam subeat: neque adeo opus est, vt huic speciei diutius immoremur. Nescio autem, quid BERGERO nonnullisque aliis in mentem venerit, vt, etsi non dolum, culpam tamen mandatarii mandantem luere debere contenderent. Confundunt ita manifesto culpam mandatarii cum effectibus mandati naturalibus, quod tamen fieri haud oportebat. Qui enim exsequitur mandatum, etsi alius rei sit exitus, ac mandans non modo voluerat, sed etiam sperauerat, nae is frustra, quasi fines mandati excefferit, accusatur. Et hoc casu, vt supra iam diximus, recte mandanti omnes mandati effectus imputantur. Quodsi autem mandatarius sua culpa aliquid fecit, cuius alius fuit effectus, ac ex mandato diligenter custodito sequi potuisset, cur quaeso tunc mandans culpam luere debet alienam? Nonne is iure suo illud AVSONII *Epigr. XVII.* repetet:

At tu — peccantia membra coerce,

Iniustum falsos excruciare reos.

Magnus mihi erit Apollo, qui iustam atque idoneam rationem mihi suppeditauerit, quare mandanti magis culpa, quam dolum mandatarii imputari debeat. Quas enim reddunt illi, qui culpam mandatarii cum mandati effectibus miscent, eae profecto omnes ita comparatae sunt, vt nemini, qui rem iusta lance ponderauerit, satisfacere queant. Cum ne propria quidem culpa ad ordinariam L. Corneliae poenam infligendam sufficiat; (*l. 7. D. h. t. HEINECC. Elem. I. C. sec. ord. Pand. P. VII. §. 205.*) qui quaeso suffecerit aliena, nihilque ad mandantem, praescriptis mandati finibus, pertinens? Quae cum ita sint, haud vitimur nos BERGERI aliorumque ei subscribentium sententia, non modo a naturali, sed legum etiam ciuiliu ratione quam maxime declinante.

Sed nec tunc poenae ordinariae in mandante locus erit, quando aut hic mandatum iusto tempore reuocauit, aut mandatarius, etiamsi mandatum haud interuenisset, caedem ta-

C

men

men nihilominus perpetrasset. Quod ad priorem speciem attinet, haud male P. M. RENAZZI *Elem. Iur. Crim. L. I. p. 132.* Certe, inquit, statim ac mandator iusto tempore reuocavit mandatum, eo ipso desit esse mandatario causa delinquendi; unde videtur expers delicti, quod sua libidine mandatarius commisit, Nihilominus scribunt doctores, hoc etiam casu reuocantem mandatum extra ordinem puniri, forte propter periculum, quod futurum imminet ex sola datione mandati. In posteriore autem specie mandans poenae ordinariae ideo haud subiectus est, quia ipse caedis causa haud fuit, neque adeo ei delictum, quod mandatarius etiam absque mandato perpetraturus erat, iusta ratione imputari potest. Distinguit quidem CARPZOV. *l. c. no. 29.* Sciendum tamen, mandantem delictum, si mandatarius etiam absque mandato hoc perpetraturus erat, tunc demum a poena ordinaria homicidii excusari, quando certo credidit, mandatarium etiam sine mandato omnino occisurum esse. Si vero mandans ignorauit, aut credidit, quod mandatarius hoc facturum non esset, tunc indifferenter mandans tenebitur poena ordinaria, quia quoad ipsum satis est, quod putauit vere mandare ei, qui alias non esset facturum. Quis autem hic non exclamet: *λῆγοι λῆγοι!* Quasi scilicet non veritas potius rei, quam aut error aut falsa mandantis persuasio, inspicienda esset.

Recte vero CARPZOV. *l. c. no. 18.* cum DECIANO iudicat, eum, qui mulieris cuiusdam faciem paruo cultello, ad penas aptandas comparato, caesim signare iusserat, mox cultello mulieri a mandatario punctim in iugulum impacto, poena Leg. Corn. ordinaria haud adficiendum fuisse. Nemo enim facile negauerit, nihil nisi leuem genarum lacerationem mandanti iniuste iuguli confossionem imputari. Generatim poena ordinaria haud teneri mihi videtur is, qui, ut caesim aliquis vulneretur, mandauit, si laesio punctim facta sit. Dubitat quidem BOEHMER. in *C. C. C. p. 84.* Mihi dubium

dubium superest nullum. Quis enim certo adfirmaverit, vulnus, etsi caesim factum esset, nihilominus etiam letiferum futurum fuisse? Cur quaeso in tali incertitudine non vnus hominis (mandatarii scilicet) sanguis suffecerit? Nullus denique dubito, tunc quoque, si mandatarius alio, ac mandante iusserat, instrumento armorumue genere vsus fuerit, aut si idem quocunque modo fines mandati migraverit, poenam ordinariam, quod ad mandantem attinet, cessare, neque alii, ac arbitrariae extraordinariaeue locum esse. Numquam enim persuaderi mihi patiar, quod scribit BOEHMER. *ad Carpz. l. c. Obs. I.* neminem scilicet gladium suo moderari posse arbitrio, caedemque, mandata vulneratione, implicite simul mandatam videri. Prius ipsa redarguit experientia, cumque casum nemo regulariter praestet, quo quaeso iure mandatarii imprudentia incitiae mandanti poenam mortis inferet? Posterius nemo facile dixerit, nisi discrimen, quod est inter vulnerationem et caedem, plane neglexerit ac insuper habuerit. Finge, Titium mandasse Sempronio, vt e. g. bombardae glandes paraulas in pedes furis coniciat, aut gladio manus ipsius feriatur, Sempronium autem neglecto mandato caput furis petiisse, mortemque ipsi culpa sua intulisse. Quis quaeso hanc caedem recte imputauerit Titio, nihil minus, quam huiusmodi inopinatum tristemque rei euentum, suspicanti? Poenam luat arbitriam, i. e. delicto aequalem, eidemque iusto iudicis arbitrio attemperandam. Quodsi quis autem mox ferrum in mandantem expedire iusserit, nae ei P. SYRVS in os quasi occlamet:

Prope est, non aequae ut damnet, qui damnat nimis,
itemque HORATIUS *Serm. I. 3.*

— — — — — *Cur non*
Ponderibus modulisque suis ratio vititur? ac res
Vt quaeque est, ita supplicis delicta coerces?

C 2

His

His omnibus rite pensatis iam neminem amplius, spero, morabitur CARPZOV. l. c. n. 24. scribens, mandantem in delictis non ex contractu, utpote in re turpi et inhonesta inualido, sed ex eo, quod mandatum sit subsecutum, obligari. Est enim hoc ipsum *πρώτον ψεύδος*, mandantem scilicet ex mandatarii etiam teneri excessu, quod aliter habere satis, ni fallimur, ostendimus.

Sed indicenda nunc sunt sollempnia inauguralia

CANDIDATI DIGNISSIMI
CHRISTIANI SAMVELIS GEHE

ZEHRENSIS,

qui de vita sua, laudabiliter adhuc acta, ipse his verbis exposuit:

Natus sum *Zehrae*, pago prope *Misenam*, anno seculi, quo vivimus, LI. patre CHRISTIANO THEOPHILO GEHE, tunc temporis Diacono ecclesiae Zehrensis, nunc Concionatore Aulico Dresdensi, et matre CAROLINA HENRICA, MALSI, Pastoris Ecclesiae Groeberensis quondam bene meriti, filia, XVI. abhinc annis defuncta. Prouti paterna pietas et cura se semper conspicuam fecit erga numerosam sobolem, ita et mature providit, ut ego artibus iis, quibus iuuenilis aetas institui solet, impertirer. Traditus sum primum institutionibus domesticis, inprimis LOMMATSCHII, iam Pastoris Kündelbrucensis in Thuringis, cuius disciplinae me multum debere gratus profiteor. Deinde in Scholam Prouincialem Misenensem missus literis humanioribus per sex annos operam dedi, praecurrentibus praeclaris Magistris, HOERIO, Rectore, WEISSIO,
Con-

Conrectore, CLEMANNO, cuius obitum adhuc luget afflictâ pietas, SCHREGERO, CLIMMIOQUE, Mathematico bene merito, Viris, qui tantum studium in ingenio animoque meo bene formando collocauere, vt verba desint, quibus grati animi sensus bene declarari demonstrarique possit. Faustis dimissus omnibus a. 1770. Lipsiam petii, et a BELIO, Viro Magnifico, fasces Academiae tum tenente, in numerum studiorum relatus sum. Hic eam studiorum rationem tenui, vt primum ab ore SEYDLITII, Reſtoris h. t. Magnifici, morum doctrinam et praecepta logices tradentis penderem, scholisque ERNESTI, historiam catholicam et archaeologiam litterariam enarrantis, diligenter affiderem, sicut et institutiones PLATNERI in medicina forensi percipienda, BOEHMII autem in historia Imperii Statuumque Europaeorum addiscenda non negligendas existimaui. His humanitatis artibus nutritus ad ipsâ Iurisprudentiae castra perrexi. Propterea SCHOTTVM, SAMMETVM, ZOLLERVM, FRANCKIVM, nec non S. R. HOMMELIVM adii, eorumque lectiones, quibus historia iuris, ius naturae, institutiones, digesta, nec non ius publicum, criminale, canonicum, germanicum et feudale explicantur, assidue frequentauî. Neque patroni fautoresque silentio praetereundi sunt, quibus frui, dum essem Lipsiae, fato felici contigit, inter quos aeterno pietatis cultu venerabor inprimis ZOLLERVM, SEGERVM, atque SCHOTTVM, vtpote qui antiquae cum dilecto Patre meo amicitiae memor singulari me benevolentia per totum tempus Academicum amplexus est. Defensû anno MDCCCLXXIII. praefide Viro summe Reuerendo atque Illustri FRIDERICO GOTTLIEB ZOLLERO *thesibus iuris controuersis*, superatoque examine pro praxi Dresdam me contuli, ibique imperrata venia causas in foro egi.

Nunc ad altiora progressurus Collegium nostrum adii, vtque summi in iure honores ipsi tribuantur, petiit. Cui de-

siderio, postquam ad examen, quod vocant rigorosum, admittus Collegii expectationi per omnia satisfecit, cum deesse haud potuerimus, vt publice etiam de doctrina eius atque eruditione constet, proximo die Mercurii in auditorio Ictorum hora a meridie II. l. 10. C. de procurator. interpretabitur, deinde autem a. d. XI. huius mensis hora IX. eodem loco dissertationem *de retractus gentilitii renunciatione per generalem in feudi alienationem consensum* publice et quidem sine praeside defendet, quo facto Vir Illustris, Excellentissimus atque Consultissimus Dom. D. AVG. FRID. SIEGM. GREENIVS, Supremae in Prouincia Curiae, nec non Ordinis Ictor. Lips. Assessor, fautor, collegaque honoratissimus, cui ex decreto eiusdem Ordinis promotoris munus delegavi, summos ipsi in iure honores cum omnibus priuilegiis atque iuribus, huic dignitati adnexis, sola excepta ad Ordinem nostrum adspirandi spe, tribuet atque concedet.

Quam sollemnitatem VI RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, CIVES DENIQVE GENEROSSIMI NOBILISSIMIQVE praesentia sua honorifica splendidiorem reddere ne dedignentur, enixissime rogo. Dab. Lips. a. d. VI. Dec. MDCCLXXVII.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMI



91




ULB Halle
005 377 420

3







110. 1777/33.
2

PROCANCELLARIVS
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

CHRISTIANI SAMVELIS GEHE

ZEHRENSIS

A. D. XI. DECEMBR. MDCCLXXVII

PVBLICE CELEBRANDA

I N D I C I T

IN EST

DISQVISITIO

*De excessu eius, cui aut verberatio aut vulneratio alicuius mandata est,
mandanti haud imputando.*

